



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Observationes in Cap. III. De Jure Rerum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)



REG. XXXIX. & XL. conveniunt cum REG. XV. *Cap. I.* Nam, sicut Pater, qui Filium exponit, vel alimenta denegat, Patriam amittit Potestatem, ita Patronus in Libertos suos barbarus, amittit Jus Patronatus.

Ad captum Exceptionis II. REG. XXVI. & REG. XXXV. & XLI. adendum est GONZALES in *Cap. unicum, de natis ex lib. vent. & in Cap. I. de Servis non ordinandis*, ubi loquitur de pluribus manumissionis speciebus, earumque effectibus, nempe, variis speciebus libertatis, quæ eas sequuntur.

Cæterum, quod continetur hoc in Capite, solas Personas Sæculares respicit; inter quas tamen omisi fuerunt Principes, & Magistratus. De Personis Ecclesiasticis in *Lib. III.* dicitur, qui agit de Episcopis aliisque Prælati Ecclesiasticis, Sæcularibus, aut Regularibus, de Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, aliisque Clericis inferioribus, de Religiosis: & hæc sunt præcipue Personæ, circa quas Jus Canonicum statuere possit.

#### OBSERVATIONES in CAP. III. de JURE RERUM.

De Rebus Ecclesiasticis actum fuit *Lib. III.* & consequenter de iis, quæ ad illas pertinent. Hic specialiter agitur de Rebus Sæcularibus, & de principiis utriusque communibus.

Dividitur in QUÆSTIONES VI. quæ respiciunt Dominium, Possessionem, Usumfructum, Res Sacras, Sanctas & Religiosas, Res Communes. Quod dicitur in singulis Quæstiones, excepta *Quarta*, pertinet ad Jus Civile. Multæ sunt repetitiones circa acceptationem possessionis, restitutionem spoliatorum, præscriptionem. Reperiuntur nihilominus aliquot Regulae, seu Exceptiones, quæ pertinent ad Jus Canonicum, ideòque hic notabuntur: talis 1. est Exceptio REG. I. quæ docet, Res in Bello injuste acquisite, injustè detineri. 2. REG. II. quæ dicit, Res amitti iisdem viis, per quas acquiruntur; 3. Exceptio REG. VI. dicens, rei petitæ pretium duntaxat obtineri, si ea consecrata sit; 4. Exceptio REG. III. eum, qui dolo possessionem in alium transfert, pro Possessore haberi. 5. REG. VII. pertinet ad *Tit. de Libell. Oblat.* in qua dicitur, Actorem designare debere Rem petitam; 6. Exceptio REG. VIII. dicens, eum, qui ab alio, quam Domino, bona fide quidpiam emit, non posse huic pretium condicere; 7. REG. XIII. ferens, eum, cui Censum prædii solvitur, ejus Dominum reputari. 8. REG. XXIX. XXX. XXXI. confundunt Res Sanctas cum Sacris & Religiosis, quamvis in *Titulo* distinguantur; levioem esse differentiam Autor duxit, ideòque negligendam.

Quod dicitur in REG. XXX. locum fieri Religiosum, si Mortuus in eo sepeliatur; modò non sit Hæreticus: non est verum, quoad Jus Canonicum, docens, locum non fieri Religiosum Sepulturâ, sed Benedictione, quæ eum ad Sepulturam destinat; Locus autem sic benedictus polluitur, si in eo sepeliantur personæ Sacra Sepulturâ privatæ; videlicet, non solùm Hæretici, sed etiam Pagani, Excommunicati, & ii, quibus Ecclesiarum aditus est interdictus, vel qui specialiter à Sepulturâ Sacra interdicuntur. Omnis Locus ad pium opus destinatus, Religiosus vocatur.

#### OBSERVATIONES in CAP. IV. de CENSIBUS.

Referendæ erant variæ significationes verbi *Census*, ut agnosceretur, quomodò hic accipiatur: consistendo enim intrâ *Tit. de Censib.* significat *Reditum, Pensionem, Subsidium Charitativum, Procuracionem, Contributionem, Capitacionem*; eum Autor accipit pro *Pensione annuâ* & pro *Procuracione*. Rursus observandum erat, verum Census esse Pensionem perpetuam in fundos alterius: Pensiones ad tempus, etiam ad vitam,

non esse verum Census: undè fit, ut Prælati, qui novos Censum imponere prohibentur, & veteres augere, Pensiones annuas in quibusdam casibus assignare possint. Cùm Subsidium Charitativum, temporale sit, & extingui debeat cum necessitate, quæ illud exigi cogit, & probat, Census vocari non potest.

Alia Observatio necessaria, est, significationem verbi *Census* valdè germanam esse, *Reditum*; Undè nascitur divisio Census in *Feudalem, & Emphyteuticum*, qui sunt Reditus, quorum ille debetur Domino à quo Feudum tenetur; hic debetur ei, qui fundum ad Emphyteusim concessit.

Caput hoc dividitur in QUÆSTIONES III. Quod dicitur in *Primâ*, ad unicam Regulam reducit; nempe, Ecclesias ab omni onere immunes esse ex beneficio Principis, qui sic in eis honoratum se duxit Dominum, cui consecratae sunt; igitur, nequeunt onerari Censu, nisi in casibus per Canones comprobatis. Primus, est casus Foundationis, qui æquissimus est, nam ii, qui bona sua largiuntur, habent jus legem, quam volent, dono suo dicendi. Secundus, est casus exceptionis, aut remissionis Jurium Episcopatum *Cap. 6. de Relig. Domib.* casus hic restringi debet ad remissionem Jurium Temporalium; quæ, si fiat sub lege Census, est Abbonationis species, similis ei, quæ fit in quibusdam Locis quoad Decimas; quod nullam habet speciem mali, ideò quòd utrimque Temporalia conferantur; sed si Census constituatur, ratione remissionis Jurium Spiritualium, aliqua saltem apparet Simonia species; quia Spiritualia pro Temporalibus, & vicissim, dari videntur; Tertius, est casus, qui ab Autore omittitur; nempe erectionis unius Parochiæ intrâ Districtum alterius; adstringitur Ecclesia nova ad solvendum Census veteri, *Cap. 3. de edific. Ecclesiis.* Ratio hujus Textus applicationem suam habet erectioni Episcopatus intrâ Diocesim alterius; locum habere etiam potest in unionem alicujus Ecclesiæ alteri, in præsidium ejus, à quâ Ecclesia unita pendebat.

Quod in *Replicat. V.* ejusque Duplicatione dicitur, reducit ad Regulam; scilicet, ad institutionem Census super aliqua Ecclesia, requiritur autoritas Superioris, & justa causa. Ratio hujus Regulae est, quòd in hac institutione fiat quædam alienatio: porrò, in omni alienatione Superioris autoritas & justa causa necessariae sunt.

#### QUÆST. II. Quid, & Quantum debeat?

REGULA I. est mera applicatio Regulae generalis Censui accommodata; nempe, nihil exigendum esse, nisi quod debetur. REG. II. Procuracionem cum Censu confundit, quamvis Procuratio non debeat, nisi in casu Visitationis, & ad exhibenda alimenta Visitatori: Census autem quotannis solvitur, quodlibet accidat, & independenter ab omni actu ejus, cui debetur.

REG. III. innititur Regulae, *Odia restringi convenit*: nam Census est Servitus, & sic odiosus est: itaque, solvendus est juxta minorem mensuram. Hic sensus unus est ex iis, qui dari possunt Regulae, *in obscuris minimum est sequendum. Reg. 30. in 6.* Itaque, videtur hanc REG. III. non habere locum, nisi in dubio. Textus laudatus loquitur de Voto, quod videtur favorabile respectivè ad Deum, sed odiosum quoad ejus Ministros, quos non decet rigorosè exigere id, quod sibi debetur ex Fidelium Devotione. Videtur, hunc Textum, nec non Commentarium GONZALEZ. In illum dubium oriebatur, ex eo quòd plures erant Mensuræ ejusdem nominis, licet inæquales.

Quod diximus de Mensurâ, locum habet quoad Monetam, in casu dubii, ob eandem rationem. Porrò, *Cap. 20.* jubet, Census solvi in Moneta temporis, quo fuerat constitutus; ideò quòd apparebat, talem fuisse voluntatem Constituentium.

QUÆST.